



Titel: E Physiognomia Anthropologica Partiali Chiromantiam
Autor: Frenzel, Simon Friedrich; Mevius, Thomas Tobias;
Burckhard, Johann; Roeber, Paul Philipp; Wust, Balthasar
Christoph
Purl: <https://resolver.sub.uni-hamburg.de/kitodo/PPN1795140550>

Rechtehinweis und Informationen

Der Inhalt ist gemeinfrei. Das Digitalisat darf frei genutzt werden.




Zum Zwecke der Referenzierbarkeit und einem erleichterten Zugang zum Original bitten wir um folgenden Hinweis bei der Nachnutzung:

Original und digitale Bereitstellung:
Staats- und Universitätsbibliothek Hamburg Carl von Ossietzky
+ Signatur + Link zum Digitalisat

Qualitativ höherwertige Reproduktionen können in verschiedenen Formaten und Auflösungen kostenpflichtig erworben werden. Gebühren werden entsprechend der Gebührenordnung für wissenschaftliche Bibliotheken der Freien und Hansestadt Hamburg erhoben.

Sollten Sie das Objekt in Ihrer eigenen Veröffentlichung verwenden, würden wir uns freuen, wenn Sie uns darüber informieren und uns die bibliographischen Angaben Ihrer Publikation mitteilen. Wir freuen uns natürlich sehr, wenn Sie uns zur Information sogar ein Belegexemplar der Publikation zukommen lassen können.

Kontakt für Nachfragen:
Staats- und Universitätsbibliothek Hamburg - Carl von Ossietzky -
Von-Melle-Park 3
20146 Hamburg
auskunft@sub.uni-hamburg.de
<https://www.sub.uni-hamburg.de>



mm 0 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180

inch 0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on UTT

4.5 15.0 25.0 35.0

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T329 Serial No. **477**

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
-5.

Clavis.

1. disput. de proportione Mus. Rimmer ✓
2. De doctis mulierum. 17. Rimmer ✓
3. De duellis mulierum. 59. Rimmer ✓
4. De bellis mulierum. 71. Rimmer ✓
5. Alfonsus Sapiens. 85. Rimmer ✓
6. De Inquisitione Gallica. Rimmer ✓
7. Ludovicus XI. - 119. Rimmer ✓
8. Moravia V. programma Rimmer 123. ✓
9. Dis. mun. 127. Rimmer ✓
10. Inchoatio in funere Göbelii. 131. Rimmer ✓
11. Exordia sedemptoris. progr. 137. Rimmer ✓
12. Natales Hellenistici. progr. Rimmer 139 ✓
13. Inchoatio de vir. fr. Magelin. 143. Rimmer ✓
14. Curiosa propolitica. 147. W. s. ✓
15. Chironomia. disp. franzel. 151. ✓
16. Votum septem disp. franzel. 163. ✓
17. Martyrium constantia. 171. G. H. H. ✓
18. Historia Burguniorum. - 183. G. H. H. ✓
19. Metallifodina Hartiaca. 247. Meibom. ✓
20. Fontes Soterii. 284. Fulchhoff. ✓
21. Electio minoris mali pra. maiore. 296. Alberti. ✓
22. Apologia doctorum Vet. Eccles. 304. Ruffenberg ✓
23. Inchoatio Lipsia. 324. Wuyf. ✓
24. De notis et figuris infantum ab imaginatione matrum ortis. 344. ✓
25. Moralitas Complimentorum 352. W. s. ✓
26. quod honestum est: s. principium amoris et odii. 368. W. s. ✓
27. Urna sepulchralis. 380. Von Möllan ✓
28. Theologia Homeri 400. Ruffenberg ✓
29. Hosanna 410. Wuyf. ✓
30. Cyquos, vocis graeca interpretatio 418. Ruffenberg. ✓
31. Epitapha Messia. 426. Goldwiner. ✓
32. Nativitas Messia. 438. Idem. ✓
33. Instrumenta Musica Hebraeorum 448. Waidling. ✓

34. de 77555 M. Chr. Waidling.
35. de vita aeterna ex lumine naturae demonstrabili. Waidling.
36. de Ambonibus veteris ecclesiae. Waidling.
37. de odore problema. Waidling.
38. de portento magnitudinis aere Judaorum. p. Jo. Henr. Woeff.
39. de Rege ab Israelitis petito. Henr. Jonathan Wagnuborg.
40. de numero mundorum. Wagnub.
41. Vana persecutorum ecclesiae vera persuasio. Val. Alberti.
42. Jugum Jeremia. Henr. Jonath. Wagnuborg.
43. Definitionum Logicar. de Script. sacra. Dissp. Jos. Sigwart.
44. Johanner ad char. Lutherum applicatq. auct.
45. de Principio fidei. Jos. Sigwart.
46. Jo. Adams Osiandi de renovatione.
47. Exercitium Academicum Politicum. Caroli Cessio.
48. de Angina strangulationem amulante affectu. Dügg.
49. de Rachitide. Jo. Frid. Allob.
50. de sententia & re judicata. Oprimaju.
51. de denunciationibus. p. Döstin + Ellv.
52. de revocatione delinquentium. Strauß.
53. de fide vicaria. Petrus Müller.
54. de Anno juridico ejusq. effectibz generalibz. Dylin.
55. de successione conjugum, collegii & fidei. Dünzgen.
56. de eo quod justum est circa Emphyteusim. Struvius.
57. Possiminium. Jo. Ge. Simon.
58. de jure feretri. Petrus Müller.
59. de apostato miserabili. P. Müller.
60. de securitate metuentium. P. Müller.
61. de vitrico. Naßmögger.
62. Labyrinthus juris ejusq. prudentiar evitabilis. Wang.
63. de Contractu agi motorio. Sison nudöftr.
64. de jure ptebantium. Kraut.
65. de tessere Collybitica (Wassrebrüthen.) Ziggfle.
66. de jocalibz (Wörtern p. m. d.) P. Müller.
67. de eo, quod justum est circa misericordiam. P. Müller.

151.

15

MODERATORE SUMMO FORTUNANTE!
E
PHYSIOGNOMIA ANTHROPOLOGICA
PARTIALI

CHIROMANTIAM,

Publicæ sententiarum collationi
Exponent
PRÆSES

M. SIMON FRIDERICUS FREN-
ZELIUS, Corbuziensis Lusatus, Amplissimæ
Facult. Philosoph. Adjunctus,

&
RESPONDENS
THOMAS TOBIAS MEVIUS,

Wittenbergensis,
Ad d. XXII. Augusti.
In auditorio Majori,
horis antemeridianis.
Rodolph. Goclenius:

Ego scelus esse puto, & impietatem, negare, quæ in naturâ habent causas manifesta, quæ ita condita sunt, ut præfagiant futura, eâq; præfensione nos de iisdem commonesciant. Necessè est a legitimum operum Deusum discerni à superstitioso & impio.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI.
Anno M DC LXIII.

1663

V I R O

*Admodum Reverendo, Præcellenti item, nec non
Clarissimo*

DN. M. PAULO PHILIPPO
ROBERO,

SS. Theol. Candidato dignissimo, atq; in inclyto

Misnia Oppido metallico, FREIBERGA, ad D.
JACOBI Pastori fidelissimo,

DOMINO PATRONO ET AFFINI SUO
atq; devenerando

UT ET

V I R O


*Gravissimo, & cum in Mercaturâ Librariâ, tum in Arte
Typographicâ Spectatissimo*

DN. BALTHASARI CHRI-
STOPHORO VVUSTIO,

Fautori ac Fratri suo honoratissimo,

*Primitias hæc Academicas devoto animi cultu
dat, dicat, ddëicat*

THOMAS TOBIAS MEVIUS
W. S. RESPONDENS.



Δεός! Δεός!
SECTIO I.
Delineans Positiones.

S.I.

Homo parvus mundus est, operumq; divinorum Epitome. Omnia quippe propter eum facta sunt. Omnia in eo, quibuscunq; univēsa rerum natura eminet dotibus. Omnia per ejus capiuntur intellectum. Quid multis? cum corpus è terra & animam habeas è cœlo, homo, ipse terra es & cœlum, adeoq; rectè dici potes omnis creatura, pronunciat *Allsted. in Theol. suâ natur. part. 2. p. 644.* In quo quidem loco colationem simul instituit inter Macro- & Microcosmum, sed amplam ferè, longius petitam, falsisq; sæpe numero innixam hypothesis. Juvat ipsa afferre Autoris verba hanc in rem facientia: Sicut primum mobile inferiores secum rapit orbes, ita illud datur in ratione hominis, affectus gubernante, l. corde, primum vivente, & ultimum moriente. In mediam aeris regionem feruntur halitus, ibiq; in nubes coguntur, quæ decidunt & foecundant terram: Mediæ huic aeris regioni cerebrum est analogum, cum vapores è visceribus delati inibi frigescant, indeq; velut in pluvias soluti destillant. Quatuor sunt substantiarum genera: videlicet inanima, ut aqua, terra: Vegetabilia, ut Plantæ: Animalia, ut canis: & intelligentia, ut spiritus creati. Has quatuor classes regit DEUS. Et hæc quatuor homini insunt: Etenim cum inanimis & vegetabilibus ipsi cognatio intercedit, quoad corpus, vim vegetatricem, altricem, augmentativam & generatricem; cum animantibus in virtute sentiente, movente & appetente; cum spiritibus creatis, convenit animæ suæ essentiâ & dotibus, Dei deniq; est imago. Quatuor sunt Elementa: his in homine respondēt quatuor humores, cholera igni, sanguis aeri, pituita aquæ, melancholia terræ. Spiritus mundi diffusus est, per totum mundum: Hominis spiritus permeat totum corpus. Sol

& Luna sunt clarissima mundi lumina: his respondent oculi bini. Terra habet occulta & latentia vitia, quæ in terræ motus, hiatus, ignes desinunt: sunt homini sua morborum genera, quæ in tremores & febres desinunt. Terra habet lapides: his respondent ossa. Ex aere decidunt grandines, imbres & similia: ex cerebro decidit pituita, unde podagra, calculi & similes morbi. Sunt terræ montes, vallesq; sylvis vestitæ: in homine barba comæque in sylvas abeunt, juga sunt humeriq; manusq;. Quod caput est hominis, terræ est in monte cacumen. Terræ partes aliæ sunt sicciore, aliæ humidiores: idem in homine evenit. Terra & Mare habent sua otia, habet & homo. Firmamentum movetur suo motu peculiari, qui dicitur trepidationis: huic respondet pulsus vel potius sternutatio. Terræ motus, est in homine febrium horror. Murmura ventorum, sunt hic torsiones colicæ, flatusq; ventris. Ecclipsis est epilepsia. Fulmen, apoplexia. Siccitas Phthisis. Diluvium & inundatio, hydrops. Septem Planetæ & totidem Metalla denotant septem membra principalia; Mare occidentale, Vesicam. Flumina, Venas & arterias. Ros, humiditatem ex cibo & potu existentem. Fons, oculum. Mare mediterraneum, venam cavam. Hactenus ille.

II. In quâ collatione non distinctos modò illos entium gradus percurrit Alsted. sed & eorundem affectiones, imò, quod magis, effluviolorum affectiones, ut ut non omnes, in communi meteora dictas, applicat homini, creaturarum nobilissimæ, adeo, ut nihil sit in mundo (loquor cum Autore) cujus proprietates non sit in homine. Verum cum propriè adeo in illâ re philosophetur Alstedius, ubi maxima pars tribuenda est similitudini, quid censendum de *mathematici cujusdam haud ignobilis*, allegati à *Magnif. Dn. Doct. Zieglero*, Patrono noster summè colendo, in *Programmate quodam*, sententiâ, qui specialem & certam largitur telluri animam, eò, quod illa complectatur æq;, quicquid producere valet animal. Ita v. ille mentem suam exprimit *l. 4. Harm:* videbam pleraq; omnia, quæ ex corpore animantis provenientia, testantur animam in illo esse, provenire etiam ex telluris corpore. Ut n. corpus in cutis superficie pilos, sic terra plantas arboresq; profert; inque iis. bi pediculi, hîc er. cæ, cicadæ, variaq; insecta, & mon-

& monstra marina nascuntur; & ut corpus lachrymas, blennam, auriumq; excrementa, est ubi & gummi ex faciei pustulis, sic tellus electrum, bitumen; utque vesica urinam, sic montes flumina fundunt; & ut corpus excrementum sulphurei odoris, crepitusq; qui etiam inflammari possunt, sic terra sulphur, ignes subterraneos, tonitrua, fulgur: utque in venis animantis generatur sanguis, & cum eo sudor extra corpus eiectus, sic in venis terræ metalla & fossilia, vaporq; pluvius. Quid quod & sensus quidam tactus, auditus telluris globo inesse, videtur, argumento, hoc, quod constanti, plurimarum provinciarum traditione confirmatur, si quis in altissimorum montium cacumina enisus, lapillum in hiatus, quos habent illi profundissimos, conjiciat, unde solet excitari sonitus; aut, si in lacum montanum, (qui procul dubio & ipsi fundo carent) è vestigio tempestates excitari: sic n. & animalia, si quis in teneros aurium nariumve meatûs titillans aliquid inferat, horrore correpta, caput quassant, aut in cursus se precipitant. Num ergo terra verè sua vegetabitur animâ, sensusq; illi inesse putes propriè, cum talis hîc intercedat affinitas inter animans atq; terram?

III. Scilicet pleraq; conspirant inter se suaviter, licet alterum alteri non insit. Jucundissima est naturæ harmonia, nec minor convenientia inter hominem, totumq; mundi theatrum. Vultus si ad sidera erigimus, deprehendimus de facili, cor hominis correspondere Soli, cerebrum Lunæ, partes genitales, Veneri, lienem saturno, vesiculam fellis Marti, hepar Jovi, aliasq; partes aliis convenire speciebus. Neq; vero stellæ singularem modò sovent analogiam cum corporis humani partibus, quin eorundem influxus insuper ac positus externè se prodit in frontis manuumq; lineamentis. Uti n. Physiognomia Anthropologica pertractat signa tum extra posita, scil. stellæ aliq; puncta cœlestia, tum insita, sive in toto corpore humano, sive in manu tantum, fronteq; occurrentia, ac inde suam desumit divinandi rationem, eâdem prorsus ratione signa illa universa tantum inter se obtinent consensum, ut quæ ostendet n. n. non temerè frons celet, & quas ambæ exhibent signaturas, Astrologia suo tandem confirmet calculo; unde firmiter divinanti emergit judicium

diciū ex tot tantorumq; testimoniorum cumulo. In hominis sanē fronte clarissimū panditur cœlum, quippe in quo conjunctiones mox faustæ mox infaustæ, diversi aspectus, variiq; illorum cōspiciuntur positis. Manū verò, quoties intueris homo, non minus in eā splendet cœlum, expressis lineamentorum radiis, planetas l. bene-l. maleficos præ se ferentium, tuamq; fortem & corporis constitutionem haud obscure describentium, ut l. hâc de ratione fies meritò, vereq; nuncuperis Microcosmus.

IV. Multum itaq; in asserendis illis disciplinis stochasticis per se amabilibus juxta ac utilibus, Metoposcopiâ & Chiromantia concedimus *consensui harmonico cœli ac hominis*, non inficias ituri adeò, ex Astrologiâ facili viâ cognosci lineamentorum qualitates sine manuum frontisq; inspectione, atq; ex eâdem quodammodo prædici posse signaturas, imò ipsas lineas pro influxu stellarum non rarò alias atq; alias inducere formas. Egressi verò remotiores illas cœlorum domus, maximū confirmandæ Chiromantiæ & Metoposcopiæ robur ponimus *in natura matris provide, actione sapientissimâ*; Illa quippe genuina proles Numinis, id accipit ab Autore suo, ut, non inconsultò perficiat quicquam, aut temerè constituat aliquid, sed summâ cum sapientiâ finem in actionibus edendis ubiq; præfixum obtineat. Quâ in re & homini bene prospexit de mediis universis, quæ quocunq; illum valent modo perducere ad feliciorē vitæ statum, eò nitens unicè, ut bona maturet, mala averruncet, & tantum non penitus profligat.

V. Quod ut omnibus convenit nature institutis, ita l. maxime iis, quæ nostrum in tantum fugiunt intellectum, in quantum dubii aliquid aut incerti ei relinquunt. Tale v. sustinent lineæ manuum frontisq;, & quæcunq; in aliis occurrunt corporis partibus. In tam concinno exprimere lineas schemate, & præfigurare in ideâ quasi cœli habitum, corporisq; statum, summæ sapientiæ est argumentum; revelare v. per eas, & communicare apertius secretiora atq; abstrusa, vitæq; cursum præ oculis sistere, non minus benignioris affectus est documentum. Utrumq; prolixo præstat opere natura, mater sapientissima, benignissima, Insipiens v. omnino foret, ac ingrati incurreret notam, qui repudi-

pudiaret tales literas, summâ cum fide fronti manibusq; inscriptas: imò injuria redundaret l. in ipsum Creatorem, facientem cum naturâ mirificè. Talia itaq; insuper habere scripta divina, alioq; contemnere supercilio, in quibus clementissimi Numinis radii potentia atq; sapientia clarissimè splendent, religio nobis esto.

VI. Nec in vanum hætenus abierunt ductus nature, quin eorum indagatores felicissimo successu eo processerunt, ut collatis manuum totiusq; corporis signis, certas tandem de lineamentis regulas posuerint, positas longo rerum usu indies excoluerint, exultas infinitis exemplis confirmarint, tandemq; communi suffragio comprobarint. Uti n. prudentis nature est, sensim procedere, nec temere facere saltum, ita nec disciplina ac artes ingenuæ, consummata statim, numerisq; omnibus absoluta nascuntur, sed incrementa capiunt majora successu temporis; & ipsi majores plurima tradiderunt posteritati perficienda, adeò, ut literæ non minus suam vivere videantur infantiam, pueritiam, ætatemq; virilem. Chiromantia cum Metoposcopia non infantiam adeò a pueritiam amplius agit, sed ætatem ferè consecuta est virilem.

VII. Non contemnenda ejus fuere elogia, cum *Philosophorum Princeps, Aristoteles, Problem. 48. sect. 10. §. 1. de histor. animal. c. 15.* Singulares de Physiognomiâ tradidit literas, & ad *Alexandrum* discipulum talia dedit verba: scias certò, *Alexander*, quod nil vacui & otiosi facit *Deus* gloriosus, sed omnia facta sunt ex causâ probabili, & certissimâ ratione. Quem tn. mirum in modum reprehendit *Plinius*, disciplinas hæc, ad Magicas relaturus artes. Sed castigatur dignis modis ut assertor ridiculorum dictorum & magicorum ludicrorum, à *Tricasso Mantuano* in enarratione pulcherrimâ *Chiromantia*, excusâ Anno 1560. nec non à *Taisnerio* in accurato suo opere *Chiromantico*: qui, uti excelluerunt in studio hoc Physiognomico, cæterisq; palmam præripuerunt de facili, testantibus voluminibus singularibus, ita non minus ante hos *Chiromantia* cum *Metoposcopia* suos experta est susceptores felicissimos, cum *Pythagoras* suo jam dum tempore adolescentum mores, naturas atq; ingenia ex lineamentis corporis diducarit, indeq; eos in disciplinam recipiendos pronunciarit. Idem

dem Pharaonem Indorum Regem, consuevisse facere, narrat Philostratus. Promulgarunt illam ulterius Hermes, Alchyndus, Zopyrus, Ptolomæus, Alpharabius, Galenus, Avicenna, Rasis, Julianus, Marternus, Loxius, Philamon, Palæmon, Constantinus Africanus. Helenus quispiam Syracusius apud Græcos de characteribus internæ manus fertur composuisse libros, & Eumolpus versus, narrante Pecucero in l. de divin. Ex Romanis deniq; Principibus Lucius Sylla, Cæsar dictator ejus. Ex posterioribus tandem Petrus Apponensis, Albertus Teutonicus, Michael Sanavarola, Antonius Cermifomus, Petrus de Archa, Andreas Corvus, Hieronymus de Manfredis, Pononienfis, Blasius Parmensis, Bartholomæus Cocles, Johannes de Indagine.

VIII. Recentioribus, qui vel nostro, vel priori ex parte scripserunt seculo, annumerandi plurimi forent: quorum alii de Chiromantiâ mox prolixiores, mox concisiores, diversâ licet mente, tradiderunt literas, ut Franc. Valles de sacrâ Philosophia c. 32. Franciscus Georg. in sua harm. cant. 1. tom. 6. c. 4. Johann. de Pineda in Comm. super Job. c. 27. Mart. Delrio in l. disquis. magic. l. IV. c. III. qu. V. Phil. Melancht. in l. de anima B. Bald. in l. de cas. cõsc. l. 3. c. 6. D. Pecucer. in l. de divin. generibus p. m. 397. Cardanus, Rothmannus, Robertus Fludtius l. 2. de progn. supercæl. Fab. Hippus l. 1. de naturâ. Alstedius, in Encyclop. l. 7. phys. part. 7. c. 3. p. m. 775. seqq. Goclenius in physiog. & Chirom. specialibus, & qui principe loco dicendus erat, B. Pompejus, Præceptor noster desideratissimus, cujus præclara scripta posterius desiderant, Andreas Otto in Anthroposcopia, Watsonius in unione sapient. Alii v. calculo suo eam approbarunt, ut B. Jac. Martini in disp. exhibente problemata Philos. & polymathica anno 1612. habita, quæst. 17. Chirom. & Metoposc. nec impias, nec ineptas putat. Ambr. Rhodig in disp. exhibente Encyclop. Mathem. discip. §. 53. 54. B. Sperlingius, præceptor desideratissimus, in instit. phys. l. 9. & in anthropologiâ p. 764. nec non Dn. D. Wendelerus in Proæm: Philos. Pract. p. 9. §. 9. Astrologiam nominans propaginem astronomiæ, ad quam Chiromantiam & Metoposcopiam refert.

IX. Posito itaq; fundamento Chiromantiæ, feliciori progredimur viâ, ipsam indolem atq; naturam contemplaturi. Nî enim

n. fundamentum jeceris ritè, quæ superstruxeris, non minuentur ruinam modò, sed tandem & penitus corruent. Admiramur v. corporis humani partem nobilissimam, ejusq; propugnaculum, humanæ vitæ præsidium, MANUM. Illa quippe est artium magistra felicissima, rationis socia fidissima, sedes amicitie candida, symbolum fidei certissimum, interpretis animi clarissimus, imò mirabile naturæ miraculum, & si usum respicias, optimo jure *ὄργανον θεῶν* dices eam, cum Aristotele *l. 3. de anima c. 8.* Cum verò è naturæ principiis manus constitutio cognoscatur optimè, mutuas sibi manûs porrigunt Physica & Chiromantia, ubi hæc præsupponit certò, quæcunq; illa de manu tradit dogmata, suoq; instituto applicat, sub aliâ longè considerandi ratione. Physica manus, partes corporis humani integrantes asserit. Chiromantia assumit commissas manibus signaturas, indeq; significata elicit, non secus ac Astrologus ex astris, veris alioquin corporibus naturalibus.

X. Neq; verò in præsentī *manum* accipimus ex mente nonnullorum *pro artu toto*, seu *parte à summo humero usq; ad extremum digitum*, quâ ratione manû illi distribuunt in partes tres distinctas *βραχίονα, πῆχυν & ἀκρόχρεια*, hoc est, brachium seu ulnarum (sic enim Celsus vocat) cubitum, & extremam manum: sed *pro manu propriè ac strictè sumt à*, sive eam dicas manum parvam, seu maniculam, sive manum extremam, quæ incipit, ubi desinit cubitus, & ad extremum digitorum usque protenditur, & *tribus distinctis absolvitur partibus: prima est brachiale*, græcis *ραρπός*, Barbaris Rascetta dicta, imò aliis Rosetta, cum illa pars rosæ ac floribus exornetur sæpius, estq; ultima pars brachii & prima manus, octo ossiculis, duplici dispositis ordine & cartilaginum ac ligamentorum intervèntu arctissimè connexis, constans. *Alteram est postbrachiale*, sive *μετὰ ἀκρόχρεια*, Celso dicitur palma, (quæ alias manus expansa, uti pugnus contracta) incipit à brachiali, & protenditur usq; ad finem manû explicatæ, exceptis verò digitis, quinq; ossibus brachiali coagmentata. Hæc palma verò non injustè dividitur in partem anteriorem, & posteriorem; illa dorsum, hæc vola nominatur. Spatium inter indicem & pollicem dicitur *Thenar*, quod constituunt muscoli præcipuè duo, qui pri-

num movent interno dium, cum eo, qui pollicem abducit. *Hypothenar* est sub minimo digito ac mensali lineâ. Quæ pars exterius respondet thenari, *Opisthenar* dicitur, quæ verò hypothenari, *pekten* vocatur. *Tertiam* deniq; partem manûs constituunt digiti, qui suis gaudent internodiis, iisq; tribus, scuticulæ, perticulæ, perticæ, sive articulis, procondyli, condyli, medacondyli, dictis.

XI. Ante omnia verò *manûs regionem cavam*, neglectâ jam convexâ, nostram facimus, tanquam propriam Chiromantiæ sedem. Cujus quidem structuram internam, copiosè satis & perspicuè proposuit Peucerus antea laudatus, loco citato, ex quâ simul demonstrare nititur rationem figuræ & inæqualitatis internæ manûs, linearumq; in summâ cute apparentium. Summa dictorum est ista: Ex apice interioris tuberculi humeri ad *ἀγκῶνα* enascitur musculus, capite statim ab exortu carnosio, crassoq; & nervo, qui inter initia sese diducens, ubi brachiale attingit, finditur in 4. ramos carnosos, sed progressu in nerveam duriciem. Alius prodit musculus ex eodem principio, sed decliviore, exquisitè carnosus & teres, qui ultra medium cubiti progressus, contractusq; aliquantulum, ut prior, in 4. dirimitur carnosâ segmenta. Tertius ex ulnæ eâ propagatus sede, qua radii illa tuberculum sinu peculiari admittit & complectitur, atq; secundum radii situm productus, circa brachiale in teretem cogitur & finitur tendinem. Præter hos alii tredecim manum internam intexunt muscoli, quorum ad primos quinq; digitorum articulos singulos, singuli utrinq; affiguntur: tres verò ceu è transverso ex volâ, quâ qui pollicis subjacet torus, circulari linea circumscribitur, educti, in secundum inseruntur pollicis internodium. Dein musculus quidam substernitur cuti nudæ manûs, ventrem impensè carnosum crassumq; præ se ferens primùm, post, cum ad medium cubiti accesserit, in tendinem gracilescens, tandem ad volam accedens dilatescit. Intra quem tendinem ac cutem carnea continetur substantia, subalbida, duriori nervosoq; adipi similis, venarum nervorumq; ad cutem tendentium furculis conferta. Hæc eminentioribus ossium processibus ad radices digitorum elevata in altum, in distinctas eminentias, ceu toros abit. In medio visitur cavitas, circumquaq; à monticulis circumdata, & quasi septa.

In tales thoros limites manûs necessariò assurgunt ob infratos ossibus musculos, & carni tendiniq; intextas carneas fibras.

XII. Investigatâ jam sede Chiromantiæ, propius ad ejus naturam admoti, facilè illam tali donamus definitione: Chiromantia est Physiognomia Anthropologica partialis, quâ ex manuum lineis atq; signis à naturâ impressis, de rebus naturalibus, aliisq; contingentibus, sive præteritis, sive futuris, probabiliter conjicimus, pro obtinendo naturæ fine.

XIII. Magna verò usq; penes Doctores vocum fuit auctoritas, quare nec in hoc definito omnis voci deneganda opella. In propatulo autem est, vocem *Chiromantia* esse ratione originis græcam, sed latinitate donatam, quum sit composita ex ἡ χεῖρ & μαντεία, quod Scapula in lexico suo è visceribus lingvæ ita reddit: *divinatio ex manibus, seu ex inspectione literarum in manu*; quippe τὸ μαντεύομαι tale quid importet. Quanquam alii illam vocem potius diductam velint à χεῖρ & ἀνάνα, idem est, quod disco & studeo ex manu; At summâ cum lingvæ græcæ infcitiâ, cum in confesso sit, vocem μαντεία descendere à μαντεύομαι, quod in communi secundum Scapulam est conjicere & opinari, uti videre est apud Aristotelem in Ethicis, in specie indicat vaticinari, augurari, oraculum edere; apud Xenophontem, oraculum consulere seu petere. Apud Peucerum Chiromantia audit χειροσκοπιῶν οἰωνισμα, *vaticinium de manûs interne characteribus*; ab aliis salutatur communiter χειροσκοπία, à χεῖρ manus & σκοπία *speculatus*; unde & derivatur χειροκόπος *manûs inspector, qui ex inspectione manuum divinat*, Lucret. Suid. & pari ambulat passu cum Chiromantâ. Germanicè *Einer der aus der Hand wahr saget*. Quam ob rem duram & angustam nimis videtur afferre vocis hujus explanationem Faber, Chiromantiam germanico idiomatè ita reddens: *Die Ziegeiner Kunst aus den Händen wahr zu sagen*. Quantum enim Zygenorum ars distet à nostrâ, secundum nostrum edisseret problema.

XIV. Prætervectis nominalia illa & remotiora, ad realia festinan-

nandum est. Definitur Chiromantia loco generis per *Physiognomiam Anthropologicam, partialem*, nec injuriâ: hæc enim synonymicè prædicatur de illâ, una cum nomine totam suam essentiam ei communicans. Est namq; Chiromantia habitus Stochasticus, quo de rebus naturalibus hominum insitis, aliisque accidentibus quibusdam ex certis signis probabiliter conjicimus; hæc verò definitio Physiognomix Anthropologicæ est. Nec minus genus hoc est latius Chiromantiâ, cum competat æque Metoposcopiæ. Utraque quippe partes corporis humani modò explicat. Insuper directè collocatur in prædicamento qualitatis, ad primam en.ejus speciem spectat, scil. habitum, ut peculiari is sit à cæteris, nec ingrediatur communem habituum classem, id quod à nobis pluribus probatum fuit *in disput. de Phys. Antropol. in genere scct. 2. qv. 2.* Tandemq; genus hoc proximum est, cum sane interveniu alius cujusdam generis subalterni Chiromantiam sub se comprehendat.

XV. *Differentia* desumitur partim *ab objecto*, partim *à fine*. *Objectum remotum Chiromantia est manus*, propinquum vero magisq; proprium *pars ejus interior*, sive *manus interna* atq; concava, quatenus gaudet suis lineis, turget montibus, & pollet aliis characteribus atq; signis. *Lineæ illæ naturales*, missis accidentalibus manum internam maxime ornant, constituunt, ac certè quid per se significant: originem suam trahunt ex præcipuis organis in homine, cerebro, corde, hepate, renibus atq; temperamento, ut & plurimum debent Planetis signisq; cœlestibus. Earum sunt *aliæ principales seu primariae*, *aliæ minus principales seu secundariae*. *Illæ* sunt denominatæ à præcipuo quodam membro hominis, quarum *prima* est *Vitalis*, Ζωνφόρος s. vitifera dicta, ortum trahens sub radice indicis in thenar, & montem pollicis circumscribens, usq; ad rascettam. *Alteræ Media naturalis*, cephalica seu capitalis, incipiens in thenar, juncta cum lineâ vitæ, & per volam procedens versus montem lunæ. *Tertia Hepatica*, procedens vel ex lineâ vitæ, vel circa eam ad mediam naturalem usq; cum hâc jungenda. *Quarta Mensalis*, *Renalis*, *Matrimonialis*, quæ initia sumit circa hypothenar, tendens ad indicis monticulum usq;.

XVI. Inter quas eminet vel maximè vitalis, cordialis etiam dicta seu cardiaca, cum nulla hætenus unquam manus inventa sit sine eâ, cæteræ verò sæpe numero ab eâ exulent, testante Goclen. in *Chiromant. special. pag. 93.* Sic inquit: si contrarium contigerit, quicumq; observaverit, rogatum eum velim, ut amicè id mihi impertiat per literas: tunc enim me non pudebit, Palindiam cantare & diversum sentire. *Ac alibi:* impossibile est hominem vivere, in cuius manu non appareat ramus vitalis seu cordis, vel hujus vestigiùm aliquod. Ut taceam ex mente Coclitis *libr. 4. Chiromantie Magnæ c. 17. & libr. 5. c. 1.* venam ex corde procedentem hic deprehendi. De quo tamen Coclès Anatomicorum expectet consiliùm. In cæteris res plana est, nisi quod modè dissentiamus ab illis, qui loco Epaticæ substitunt mediam naturalem, innixi experientiæ omnium rerum magistra.

XVII. Lineas jam minus principales indigituri, notamus insuper, Principales sæpe numero suis gaudere sororiis, ut si vitalem respicias, non raro exhibetur soror vitalis, Martialis aliàs dicta, æq; percurrens montem veneris, & vitalem in tuberculo Veneris concomitans. Pari ratione & Media naturalis, Mensalis atq; Epatica, Sororiis sunt donatæ nonnunquam. Quæ ubicunq; apparent, in communi id præstant, ut majorem eamq; geminam principali promittant virtutem, maximè verò, si illarum quædam disrupta sit, damnum refarciant, & periculum rupturæ significatum minuunt.

XVIII. In numero linearum minus principalium sequentes potissimum sunt. (1. *Restricta, discriminialis, cauda & caput Draconis* dicta, separans à manu brachium, lineisq; ut plurimum duabus vel tribus Carpum insigniens. (2. *Saturnina*, quæ mox circa brachiale, mox circa lineam vitalem incipit, & volam manus percurrens ad medium tendit digitum; B. Pompejus distinctè posuit saturninas, adeò, ut prima à rascetta initium sumens per volam tendat ad medii digiti tuberculum, altera transeat mediam naturalem, infra tamen subsidens, tertia à rascettâ oriatur circa pollicem, vel ex pollicis tuberculo vitalem transeat, quarta à rascetta per manû s. Lunæ montem ad indicis locum eat.

Tertia Solaris, oriens vel in cavâ manûs, vel ex naturali mediâ quasi prorumpens, vel ex mensali, vel infra mensalem & naturalem subsistens, semper tamen versus digitum annularem tendit. *Quarta Cingulum Veneris*, descendens ex spatio inter indicem & digitum medium, & subsistens inter annularem & auricularem. *Quintò linea tori*, à latere digiti auricularis natâ, versus montem digiti hujus procedentem. *Sextò, via lactea*, aut ex rascetta, sub monte pollicis, aut ex dextero trianguli angulo procedens, semper versus auricularem porrigitur.

XIX. Illud verò interjacet discriminis, ut quædam perpetuæ sint, nec abeant facilè, quædam v. disp. ereant, in earumq; locum redeant aliæ. Ex permanentibus verò surgunt spatia, quæ *lineata* Præceptori nostro ultra cineres laudando, audiunt, eaq; sunt *l. majora*, ut *Triangulum*, quod absolvitur lineâ Vitali, Mediâ naturali & Epaticâ, indeq; tres obtinet angulos, superiorem S. supremum, ubi vitalis cum Mediâ naturali juncta, inferiorem sive sinistrum, ubi Epatica cum Mediâ naturali concurrat, tandemq; dexterum, ubi vitalis cum Epaticâ coit: & *Mensa seu Quadrangulum*, quod est spatium, interjacens inter Mensalem & Mediam naturalem: *Vel minora*, quæ sunt Planetarum characteres, inde cuilibet certi assignantur, vel literæ A.B.C.D. E. vel deniq; aliæ figuræ, præ se ferentes Triangula, Quadrangula, Quadratos, Scalas, Cruces, Craticulas, stellas, Furcas, Circulos, Semicirculos, Fossas, Puncta, & quis omnes naturæ lineas uno Schemati includere valet?

XX. Planetarum dum mentionem injecimus, *colliculos sive montes* intelleximus, quorum pro numero illorum *septem* in manu conspiciuntur: sub indice *Jupiter*, sub medio digito *Saturnus*, sub annulari *Sol*, sub auriculari *Mercurius*, sub Mensali *Luna*, sub pollice *Venus* suas obtinent sedes, aspectus benè l. maleficos repræsentantes. Quod verò spatium in mediâ manus volâ undiq; montibus munitum, *id Marti* tribuitur, indeq; Cavea Martis sive sinus medius audit.

XXI. *Finem* dum hic cogitamus, intendimus non ad eò externum, vergentem in utilitatem hominum, sed ante omnia internum, qui desumitur ab officio *Chiromantia*, quod est *conjicere de rebus*

rebus naturalibus aliisque accidentibus: objectum, itaq; de quo iudicium est ferendum, sunt maximè res, concernentes *quà corpus*, ut sanitatem, temperamentum, partium constitutionem, in specie, longævitatem, morbos atq; mortem, *quà animum*, ut proclivitatem ad virtutes, sive ad vitia, seu iram, Venerem, crapulam, lufum, nec non inclinationem ad altiora tractanda & studia maximè urgenda: Deniq; *quà fortuna* bona, ubi divitiæ, opes, facultates, & quæ his contraria sunt damna, prædicuntur. Nec prætereunda sunt cætera capita, sive personas respicientia, ut cognatos, Parentes, affines, amicos, inimicos, & pro indole cuiuslibet Planetæ usq; diversæ sunt observandæ personæ, Venus venereos, Jupiter Joviales & religiosos, Saturnus Domesticos, sol Politicos & Aulicos, Mercurius, Luna atq; Mars certa sua æque obtinent Objecta: sive res accidentales, ut conjugium, liberorumque susceptionem, magisterium, & honores, captivitatem, læsionem à bestiis, itinera longa sive brevia. In communi pro indole suâ Planetæ sive favorem atq; gratiam, sive iram ac invidiam indicant.

XXII. *Modus verò conjiciendū est præ cæteris observandus*, & tanquam regula, norma atq; lex, iudicio præfigendus. Neque inani aut vano fertur impetu Chiromanta ad oracula sua edenda, multò minus in alteram partem ruit, ut infallibilia venditet, & quæ necessitate inevitabili contingere debeant, ominetur: sed sanctiori naturæ viâ, mediâ incedit, ut perspectis naturæ literis, & signis inter se collatis, conforme his eruat iudicium, venerans ubiq; causam primam Deum, præsidem vitæ, & moderatorem omnium nostrarum actionum cunctorumq; eventuum.

XXIII. *Commensuratio linearum*, hæctenus à Chiromantis recepta, suis nititur experimentis, quibus refragari temere, nefas est. *Methodus v. Chiromantiæ* genuina & nativa est maximè illa, cum explicatis ritè terminis & demonstratis signis, progressus instituitur ad iudicium sive generale, evolvendo lineas & characteres & in genere omnes significatores, sive speciale, iisdem commensurationem applicando.

SECTIO II.
ABSOLVENS QUÆSTIONES NOBILIORES

Utrum locus ille apud Jobum c. XXXVII. v. 7. solidum ali-
quod asserendæ Chiromantiæ afferat testimonium?

Ea quidem quàm plurimis arridet sententia, ut Chiroman-
tiam non naturæ modò, rationis, nec non experientiæ statumi-
nent fulcris, sed ipsum insuper sacrum pro se allegent codicem:
misso illo ex Exod. III. 16. ubi ista verba: & erit quasi signum in ma-
nu tuâ, cæterisq; benè multis, maximè decantatum Jobi locum si-
bi vendicant, ac omne aded argumentorum robur in hunc po-
nunt, indeq; validum Chiromantiæ exstruunt propugnaculum,
quod tamen aliorum iudicio, cariota experitur fulcra, & summo
cum propugnantium luctu, quicquid etiam superstruere tentent,
concidit de facili. Cocles de sacro hoc loco *parte primâ Chi-
rom. magnæ l. V.* ita edisserit: per signa posuisti in manibus eorum,
ut omnem affectum designarent. Hujus vestigia presse legit Go-
c lenius *in phytogn. & Chirom. speciali p. m. 72* his utens verbis: Eti-
amsi hoc dictum variè ab antiquis ac recentioribus Theologis ex-
plicatur, imprimis v. à contemptoribus Chiromantiæ, n. si ad lin-
gva sanctæ originem respiciamus, quemadmodum hâc de re do-
ctissimos Ebræos consului, aliter non, quam de Chiromantiæ
artis usu & significatione intelligi potest & debet. Cui tamen è
diametro respondet Plur. Rever. Dn. D. Schreiterus, Fautor
noster honorandus, *in discursu Chiromantico nobis hic proposito: S.*
7. Goclenius, welcher sich auf die Jüden berufft / die ihn Vers
sichern / das der Text von dieser Kunst zuverstehen sey / siehe
alhier / mit andern Augen ganz fehl / und ist von den Jüden
nach ihren alten Gebrauch betrogen. Graviora longè, &
tantum non dira emittunt fulmina alii, in illos, qui ex his ver-
bis jobi sensum pro Chiromantiâ extorquere conantur. Bol-
duccius tom. II. in jobum: ita: ut alienissima, sic ingrata & insipi-
da mihi admodum est illa expositio, quam Chiromantici, ex hoc
loco colligunt expositionem, tandemq; somnium eam pronun-
ciat.

ciat. Gravius in eos Johan: Cöceejus *in comment. p. 509.* fulti, qui hic de Chiromantiâ cogitant. Johan. de Pinedâ *v. in comment. Jobum p. 918.* planè hos pro furibus habet, ac si furto à Chiromanticis hic locus surreptus sit.

At eruere in præsens verum & nativum è sacro codice sensum, nostrarum non adeò videtur esse partium. Quâ de re nihil certi definire licet de eo, ac determinare. Quanquam interpretes oppidò inter se dissentiant, in evolvendo dicti sensu, ac in varias scindantur partes, adeò, ut animum diversè trahant, & nescias ferè, quam teras viam, in tanto sententiarum divorcio. Liceat nobis quorundam modò exponere mentem, eorumq; citare verba, habitâ debitâ ratione nostrorum limitum. Franciscus Valesius *in Philos. sacrâ c. 32.* asserit, DEUM homini significasse in suis manibus opera sua, eò quod vel suas ipsius manus intuens homo agnoscat, se esse natum ad omnes artes exercendas, scribendum, docendumve omnem sapientiam, ad numerandum etiam, quod per manum & digitos olim fiebat. In eo itaque est Valesius, ut manuum beneficium uni tantum animalium, homini concessum esse prædicet, quicquid etiam observat Plinius, præter hominem aliis eas tribuens, potius sibi standum putat à partibus Galeni, adstruentis non modò hominem rectè uti manibus, sed solum eundem habuisse manus, instrumentum quidem sapienti animali convenientissimum, homini maxime proprium. Unde manus non tantum est instrumentum corpori, sed manus æque sunt menti animoq; instrumentum. Licet n. DEUS significarit homini in auribus, natum esse ad audiendum, in oculis ad videndum, in manibus ad tangendum, id tamen subesse discriminis arbitratur Valesius, quod reliquæ sensuum actiones communes aliis sint animantibus, at quæ per manus fiunt, hominis propriè. Ex manibus ergò cognoscit homo opera sua. Non multum ab hoc recedit Thomas, citata verba ad signum rationis, à naturâ insitum humanæ menti, referens; cum n. homo ratione discernat, quid quoquo tempore facere apossit, aut debeat, videtur sanè DEUS ratione homini collatâ, signum quoq; præbuisse ad cognoscenda opera sua, quasi suis im-

impressum manibus. Franciscus v. Titelmannus, non abnue-
nte Lyrano, DEUM in manu hominum signare exponit, DEUM
in vi operativâ imprimere, & velut inscribere, atq; in sculpere
naturales inclinationes, per quamdam naturalium dispositio-
nem, ut facillè quisq; intelligere possit, ad quod actionis & exer-
citiî genus naturâ ipsâ aptus & destinatus sit. Ab his omnibus
haut parum abludit Nicolaus Dionysius, cum aliis quibusdam
Latinorum, qui ad signa, sideraq; cœlestia respicere videtur,
quæ sunt in cœlo constituta hominibus in signa, & tempora & an-
nos, DEUM itaq; in manu hominum signare, erit quasi cum ma-
nibus hominum i.e. operativâ potentiâ conjungere illa signa, &
temporum varietates, quasi designando homini, quid quoquo
debeat agere tempore.

Recensitas v. has expositiones Johannes de Pineda l. d. coa-
ctas partim ac duras, partim à *συνέχεια* verborum alienas pro-
nuntiat, id maximè innuens, quod Deus claudat & obfignet quasi
sigillo manus hominum, quando pluit, & tempestas fœvit, a-
deoq; humanas manus quasi vinculis adstringat cœlum tempê-
stuosum ac iratum, & quasi sigillo appresso complicitet, impediendo,
ne exferi possint. Quod convenire solet agricolis, cum plu-
it, tonat, & fulgurat. Pro firmandâ suâ mente in partes vocat
Pineda vocem signandi, quæ juxta Ebraicam linguam **סגור**
propriè significat claudere, occultare, confirmare sigillo, con-
sentientibus locis parallelis Esai. IIX. 15. *signa legem in discipulis
meis* i.e. absconde & obfigna. Job. IX. 7. Dan. XII. 9. Deuter:
XXXII. 14. Cant. IV. 12. Conferatur D. Oslander in *Diction. Ebraico*
סגור, absolute reddens, clausit, obfignavit, inde **סגור**
annulus.

A quibus omninò diversus Martinus Delrio, in *disquisit.
Magicarum lib. IV. cap. III. quest. 5. pag. m. 589.* respondens
cum Olympiodoro & Philippo presbytero, verbis istis si-
gnificari temporis vicissitudinem, ut homo, videns se tam facillè
negotio à Deo quâvis tempestate impediri à proposito, suam fa-
teatur imbecillitatem. Cui expositioni favet LXX. versio, quæ
habet; *ut cognoscat omnis homo imbecillitatem suam*: nec non E-
breus

brevis contextus : *in manu (sive in vehementia) omnes obsignabit, ad sciendum omnes homines opus ejus.* Ubi ex more Ebraeorum כִּיר *in manu*, pro *in vehementi atq; admirabili signo.* Ut Moses manum DEI usurpavit pro potentia & magnitudine DEI. Exod. XIV. 31. Et hunc sequuntur toto agmine alii, quorum auctoritas alioquin non insuper habenda, ut Joh. Brentius *in Comment. super hunc locum p. 108.* inquit : ipso hominum opere, veluti sigillo quodam confirmatur potentia & majestas DEI, cum n. insonuerit tonitru, a. immineat imber repentinus, usq; adeo exterrantur, ut omnes ad latibula sua fugiant, hoc n. ipso suam declarant infirmitatem, & creatoris majestatem. B. Osiander *part. 1. sacror. biblior. p. 880.* B. Balduinus *in cas. Consc. l. iii. c. 6.* Tarnovius *in Exerc. bibl. p. 113.* Dr. Fesselius *Tom. II. advers. sacr. l. VI. c. 4. §. 7.* D. Dilherrus *dis. acad. Tom. I. p. 772.* Quibus jungendi Picator *in comment. super Job. in c. 37. p. 342.* notans synecdochen speciei, obsignare pro claudete, & generis, claudere pro cohibere ab opere. Coccejus *in commentario super Job p. 509.* ita: providentia circa homines v. 7. circa animalia v. 8. obsignat manum, h. e. obsignat opus. Nec non Sixtinus Amama *in Antibarbari biblici l. III.* Et Wendelinus *in contemplat. phys. sect. i. c. 4.* judicans hunc in modum: nec antecedentia, nec consequentia Chiromantica interpretationi favent: dixerat versiculo antecedente quinto, jussu Dei imbres & pluvias impetuosas cadere, in septimo sequentium bestias in latibula ingredi, & in antris degere. Quo scopo, quæso, versiculus intermedius sextus de Chiromantia ageret? Ut cæteros studiosi brevitatis prætereamus, nullum omnino Chiromantia, in his verbis, cum citatis jandum, locum relinquentes. Nos scopi nostri habituri rationem, acquiescimus, altis unice interpretum hæc de re sententiis. Et deniq; si ipsum consulamus B. Pompejum, Professore Chiromantia quondam clarissimum, ille de hoc in collegiis suis *can. 3. mibi*, tale tulit judicium: Chiromantiam, qui ex Jobo XXXVII. v. 7. probare nituntur, nihil agunt, imò frustra sunt, seu ut alibi, vani sunt & nugaces.

QUÆSTIO II.

Num Chiromantia coincidat cum Zygenorum divinationi ratione, aut quale inter hanc & illam intercedat discrimen?

Cum ageretur annus post Christum natum 1417. referente Münstero l. 3. *Cosmogr. fol. 267.* & Alberto Cranzio in *Saxoniâ. l. II. c. 2.* primum per Germaniam apparere cœperunt homines nigredine deformes, excocti sole, immundi veste, & usu rerum omnium fœdi, furtis imprimis intenti; præsertim fœminæ illius gentis. Nam viris ex furto fœminarum victus est. Tartaros aut gentiles vulgus vocat, Italia Cyanos appellat; an verò tales sint, num Ægyptii, nondum conveniunt Autores historici. Videatur Johannes Bodinus l. 5. *de Republ.* Zwingerus in *Theatro Vitæ humanae volum. 17.* Nec multum abest, quin asserendum sit, cum Camerario *Histor. Medit. Cent. I. c. 17.* Zygenos hodiernos maximè nihil aliud esse, quam manipulum furum, & colluviem otiosorum & fraudulentorum hominum, ex variis nationibus, non ita remotis, sed vicinis collectam; qui extra civitates in agris, in triviis, tentoria erigentes, latrocinii & furtis, deceptionibus & permutationibus, atq; ex Chiromanticâ divinatione, oblectantes homines, iis fraudibus victum mendicant. Cumq; eo facit Aventinus l. 7. *Annal.* hoc attestans: eâdem tempestate (scilicet anno post natum Christum 1439.) furacissimum illud genus hominum, colluvies atq; sentina variarum gentium, quæ in confinio imperii Turcarum atq; Hungariæ habitant (Zygenos appellamus) Rege Zindelone nostras peragraræ cœpere regiones. Furto, rapinâ, divinationibus impunè prorsus victum quærunt. Ex Ægypto se esse mentiuntur, extorresq; domo à superis cogi ob majorum delicta, qui Deiparam virginem cum puerò Jesu hospitio excipere recusarint, septem annorum exilio expiare, impudentissimè fingunt. Experimentis cognovi, eos proditores atq; exploratores esse, cum alii, tum imprimis Maximilianus Cæsar Augustus & Albertus parens principum nostrorum publicis edictis testantur. Unde apparet de facili, quale de Zygenorum Divinatione iudicium sit ferendum, & quantis intervallis à nostrâ illorû discrepet Chiromantia (1) ratione causa efficiētis: Chiromantia

mantia natalia sua accepit à naturâ, matrè sapientissimâ, quæ cum suo Autore nihil agit frustra: inde à naturæ mystis fidelissimis ex-culta fuit, adeoq; nititur ratione ac experienciâ; Zygeni verò si ex Ægypto primum & vicinis Africæ partibus prodierunt, incantationibus, præstigiisq; aliis minimè absolvendi'erunt. Videatur Peucerus *de Divinationibus* p. 322. Gödelmannus *de Magis* l. 1. c. 5. Et ex quo deniq; loco sint prognati, tamen quoad illas Divinationes nequeunt excusari à superstitione aut hæresi (si sic sentiunt) aut imposturâ scandalosâ, judicante Delrio in *Disquis. Magic. l. 4. c. 3. qu. 5.* Adeoq; hoc genus hominum Diabolo magistro utitur in multis, in quibus hominum credulitas, non rarò poenâ luit, pronunciamus cum Balduino loco ante citato. (2) *ratione objecti & cause materialis*: Chiromantia respicit naturæ lineæ futura minatur, tum præterita exponit: Zygeni verò vix lineis inspectis multa fabulantur in vulgus, & quam plurimum de præteritis, æmuli fortè Autoris Diaboli. (3) *ratione formalis*, Chiromantia probabilia ab omni parte pronunciat, supremam omnium causam Deum moderatorem totius universi, omniumq; eventuum ac actuum unicè venerans: Zygeni ad necessitatem dilabuntur, certiores facti ab Autore. (4) *ratione cause finalis*: Chiromantia admiratur in lineis Dei sapientiam cum bonitate & gloria junctam, hominumq; salutem in averruncandis malis & conservandis bonis intendit unicè: At Zygeni nil nisi imposturas, furta, atq; rapinas meditantur, adeò, ut cum quærentibus dant responsa, quot pueros, maritos aut uxores sint habituri, miro astu & agilitate crumenas quærentium rimentur & evaent. Quâ de re summâ cum laude cautum est ab Imperatoribus atq; Principibus, ut publicâ imperii lege hoc hominum genus, publico exitio natum, removeatur, uti factum est in comitiis Augustanis anno 1500. à gloriosissimo Maximiliano I. per edictum publicum omnibus imperii ordinibus injunctum, quod in sequentibus comitiis anno 1530. repetitum.

QUÆSTIO III.

Utrum arcolæ Planetarum in montibus manuum firmum in naturâ habeant fundamentum?

Impres-

Plurimi, qui aliàs multum Chiromantiæ tribuunt, maxime è vetustioribus, ei tamen Planetarum colliculos seu areolas subtrahere conantur, eâque ratione tantum discriminis interesse putant, quantum inter usum & abusum: lineæ quidem plurimum obtinere possunt, usumq; præstare in vitâ communi haud contemnendum, sed areolas istas assignare Planetis, ad abusum, redit vix tolerandû, dicût. Martinus verò Delrio & Joh. de Pinedâ *locis citatis*, ut mentem melius exprimant, distinguunt inter Chiromantiam physicam & astrologicam: illa per lineas & partes manuum considerat ipsam corporis temperiem, & ex hâc probabiliter indagat animæ propensiones. At hanc prorsus vanam & illicitam non minus, quàm fabellas aniles, quam nemo tantum, non levissimus atq; stultissimus non detestatur, judicant, judices rigidi & malè sani, ut lenius dicam. Mirum, ait Pineda, quod in unicâ volâ manus sit sua regio Jovis, sua Mercurii, sua Veneris, & suis lineis tanquam limitibus ita contineatur vjs & potestas cujusq;, ut & tanta alstra tam parvo spatio vivant contenta, & tam justa sint, ut nunquam terminos transilient alienos. Mira quoq; hominis manus, quæ continere valeat omnes septem Planetarum regiones & terminos, ut cum Dei filius tantum in suâ manu dexterâ habere visus sit à Johanne septem stellas, Apocal. 16. isti videre se profiteantur in utrâq; cujuslibet, etiam vilissimi & sordidissimi manu, septenas stellas & bis septem Planetas. At quis genius te adegit, Pineda, ut eò processeris dementiæ, ipsos Planetas tam exiguo manuum spatio illaturus? montes non sunt à Planetis, sed de Planetis, quia continent argumenta non levia, accuratè & nervosè judicat Beatissimus Pompejus; quod autem à Planetis denominentur, non propterea fit, quia ipsorum causæ sunt Planetæ, si quidem montes ab ossibus, musculis, fistulis, fibrisque; carneis tendini carniq; intentis efficiuntur, sed quia non levem dant significationem, quomodo Planetæ in themate sint constituti. Quis furor tuos effascinavit oculos, ut crederes, propriam sedem Planetas habere in manibus? aut si melius rem intellexeris, quanta est impietas, aliis alienam affingere mentem, eosq; aculeatis perstringere verbis? Adeone malè tibi constitutus est Mercurius, ut putares hominem vilissimum & sordis-

num, non esse hominem, nec dignum eum habeas, communi Planetarum in montibus positu. Et quod si cæteris lineis certa assignes significata, quid causæ subest, quod lineis montium significatio certa deneganda foret? eadem est ratio ubiq; neq; in montibus natura sine suo excidet, & in illis æque amica est conspiratio superiorum cum inferioribus. Quos Astrologia exhibet positus Planetarum, illos tuo modo Chiromantia singulari consensu demonstrat. Accedet, quod montium lineamenta non facillè ad alias principales retuleris, proin, ut propriam merentur sedem, ita proprio gaudebunt significato. Ut taceam experientiam clarissimam, quæ tantâ vi contra te agit, Pineda, ut nullis adeo opus sit argumentis, cum & pruritus & libido mera culpandi, non argumenta, sed inania suggererit tibi verba.

IV.

An Lineæ manuum ex complicatione nudâ oriuntur?

Eò quidem nonnulli tendere videntur, ut causam lineamentorum complicationi adscribere unicè laborent. At contra se ipsos agunt, quotiescunq; manus complicant, easq; inspiciunt. Rectius B. Sperlingius præ hisce sentit, aliquid flexibus tribuens, sed non omnia. Lineas formari, ait in *Antropologia*, ob flexum digitorum, necessarium est. A flexu pollicis formatur linea vitæ. A quatuor digitorum fluxu conficitur linea naturalis: à trium tantum digitorum flexu, mensalis: à juncturâ manus & brachii, restricta. Articulationes ergò lineas istas genuere, quas & in aliis corporis partibus habemus, ubi negliguntur. In diversis verò manibus tam diversas esse lineas, scrupulo non caret. Quâ de re linearum rationem in causâ complicationis subsistere unicè, tantum abest, quin ipsissimæ manus loquantur contraria. Complicetur manus vicibus infinitis, & ne unica quidem linea de novò comparabitur. Et unde quæso istæ demum lineæ, ubi nulla prorsus complicatio manuum? unde figuræ cætera, triangula, quadrangula, stellulæ, cruces, circuli &c?

SECTIO III.

Exhibens Axiomata.

I. Chiromantia est disciplina non minus jucundissima, ac utilissima.

Ex literis nature, vitæ suæ legere sortem, jucundum homini accidit, sed non minus utile, cum mala futura sapius averruncare queat, & bona sperata maturare. Mens enim juncta Deo, se totam moderamini ejus permittit, naturæ signa non in totum insuper habens, nec nimium iis confidens. Cum primis Medicum in multis juvare potest Chiromantia.

II. Qui Chiromantiam per scientiam definiunt, scientiam nativâ indole exuunt.


Non faciliè hæc in parte facere possumus cum Coclite, Fludio, aliisq; scientiam loco generis substituentibus: posuimus genuinum conceptum latiore, alium, qui in contrarium adducitur, repudiantes meritò. Adest subjectum, adsunt demonstrationes, & affectiones, non tamen est subjectum necessarium simpliciter atq; æternum, nec erunt demonstrationes apodicticæ. Rectè cum Aristotele *lib. II. post. analyt. c. ult. & I. I. hist. animal. c. 15.* Syllogismos physiognomicos & Chiromanticos conficimus, sed ex propositionibus probabilibus & conjecturalibus. Qui, v. hic vocem scientiæ ultra nativum sensum extendunt, abutuntur eâ, quomodocunq; se explicent. Nec est, ut mixtus cum Cimdarsò & nonnullis, hic admittatur habitus, Practicus & Theoreticus, quum propriè & hic à Chiromantiâ exulet.

III. In Judicio ritè formando utraq; assumendâ manus.

Optima est harmonia linearum, & ubi non raro prosperi vel infausti quid in unâ indigitatur manu, in alterâ sapius vel minuitur, vel intenditur, quare se mutuo explicant lineamenta, ut ut non simus nescij, Chiromantas svadere dexteram ante omnia respiciendam esse apud natum, qui sole existente supra Horizontem in lucem editus est, sinistram verò, si sole existente infra Horizontem natus sit.

IV. Major est certitudo astrologiæ, ac Chiromantiæ.

Goelenius majorem huic largitur præ illâ certitudinem, quia principia sunt propiora, à quibus lineæ in manibus impressæ conspiciuntur; at nonne & ipsæ influentiæ astrales propinqua a deo principia, licet non instar linearum conspiciantur? Nonne in astrologiâ radix constans & perpetua, ut Thema semel erectum per omnes dies Nati maneat? in Chiromantiâ v. successivè tale quid sperandum, cum lineæ sanè toties mutantur.




LIBRA

SUB Hamburg



931656455



mm 10 20 30 40 50 60 70 80 90 100 110 120 130 140 150 160 170 180

inch 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

4.5
3.0
1.5
0.3

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 A20 18 17 16 11

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 477

the scale towards document

DISPUTA.
L'OLIVIER

No. 18.



